

IN AVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMIVM,

13

COBALTI HISTORIAM
PRODVCTA ET NOVAS
QVASDAM SPECIES
EXHIBENS

QVOD
AVSPICANTE SANCTISSIMO NVMINE
ET CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN ALMA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS
AD D. XX. AVGUSTI ANNO MDCCCLVII.
HORIS LOCOQVE SOLITIS
ERUDITORVM VENTILATIONI SVBIICIET ET PVBLICE
DEFFENDET
AVCTOR
FRANCISCVS RVDOLPHVS A SCHWACHHEIM
YAVDVENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANOVER
CARTULARIIS SPLENDIDIS ET RARIS
COBRALTI HISTORIAM
PRODICTA ET NOVAS
GAVSDIAN SCHICIS
EXHIBENS

TRANSLATUM EST CLOVIS MUNIMENTA
ET CONSOLIDATA GRADUOS MUNDI
IN ALIA LITERATURA
PER GRADUAS DOCTORIAS
SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS AD PRELATICOS
DOCTORIALES ET CELESTINES
AD DXX VADAMI ANNO MCCCLXII
HABIT ILLUSTRE SCVLPI
TITULUS
ACADEMIAE
ARISTOTELAE
HARVARDIANAE SCHOLARUM
SOCIETATIS
ACADEMIAE
HARVARDIANAE SCHOLARUM
SOCIETATIS

V I R O
PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
G E R A R D O
S. I. BARONI
VAN **SWIETEN,**

AVGVSTISSIMI IMPERATORIS ET SERENISSI-
MAE IMPERATRICIS REGINAE CONSILIARIO, ARCHIA-
TRO; BIBLIOTHECAE ANTISTITI; ORDINIS MEDICO-
RVM, VIENNENSIS PERPETVO PRAESIDI;
ACADEMIARVM CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM, RE-
GIAEQVE PARISINAЕ SCIENTIARVM ET CHIRVRGIAE,
INSTITVTI BONONIENSIS SODALI SPLENDIDISSIMO.

FAVTORI INDVLGENTISSIMO
HASCE PRIMITIAS
OFFERT ET DEVQTA MENTE CONSECRAT

A V C T O R.

1
ОЧИЩЕНИЯ ТА ПРЕДСЛАВЛЯЮЩА
ДОМИНО
ОБРАЗОВАНИЯ
СВЯТИХ
ПРИЧАСТИЯ
СВЯТИХ
ОМЛАДИВАЮЩИЙ ОГРУДОВЫЙ
ТАКАГО РЕДКОГО СОСУДА

СОЛНЦА

VIR
PERILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME!



isi fretus essem incredibili TVA, VIR
PERILLVSTRIS, humanitate, qua ex-
hilarare soles omnes, quibus honesta
ineft publicae rei inferuendi cupiditi-
tas, verendum mihi foret, ne teme-
ritatis notam incursurus sim, qui tenui huic opu-
sculo SPLENDIDISSIMO TVO NOMINE dignitatem
ac decus conciliare audeo. Penes TE imprimis
esse

esse existimo de rebus eiusmodi iudicandi arbitrium. Satis proin me felicem arbitrabor, si mea molimina meique conatus **TIBI** placuerint arriserintque. Accipe igitur, **VIR EXCELLENTISSIME** fronte explicata atque serena hocce mearum lucubrationum specimen, meque **TVA** benevolentia tuoque praesidio iuuare atque fulcire haud dignare. Ego omnes ingenii neruos intendam ut me tuo fauore indies dignior rem reddam.

PERILLVSTRI TWO NOMINI

Scr. H.iae Magd. in Regia Friderician.
d. XVII. Aug. MDCCLVII.

allicitissimus deuotissimusque
F. R. A SCHWACHHEIM.



CAPVT I.

DE

GENERALI NOTIONE CADMIAE
FOSSILIS METALLICAE.

§. I.

Cobaltum, kobaltum, cobalium, FRISCHIO quidem *Etymologia*.
iudice, a bohemica radice *kow*, metallum, deriuatur,
ab aliis vero a *cobalis*, gallice *gobelins*, a) analogice
deducitur, nempe a daemonibus illis ac domesticis lamiis,
de quibus vbiique tot comicae et tragicae circumferuntur
historiolae b) quae pluribus metallicolis adeo sacrae sunt,
vt quilibet fere illorum laudem quaerat in illis enarrandis.
Hoc autem nomine omnia quoque *fossilia rapacia* ab illis
in signiuntur, ob prauam qualitatem, qua caetera metalla
cobaltum inficit, de qua ab auctoribus multum passim dis-
ser-

a) Vid. *MENAGE in origine linguae gallicae*.

b) Vid. *Dissertatio de virunculis metallicis*.

8. IN AVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

sertum est. Qui ultimam sententiam sequuntur, et cobaltum ab illis virunculis metallicis denominant, vocis etymos a russico *koltiki* sumunt; spiritus enim illi, qui *satyrorum* nomine salutantur, illo designantur. Graeca vox κόβαλοι ab hebraica כּוֹבָלֶת destruxit, corrupti, formata videtur. c).

Schol. Non inconcinnae a cobalis daemonibus deriuari cobaltum ex effectu potissimum aestimari posse, huicque sententiae sponte subscriptent omnes qui intimius cum metallicis commercium et consuetudinem habuerunt; quippe quibus optimo notum est, qua in mysticas ideas de illis *pigmæis* sibi formare soleant: tanta enim veneratione tantoque timore spirituum illorum imbuti sunt, ut non dubitent, illos posse uno momento fodinarum metalla et minerarum non modo dirare, augere, aperire, sed etiam in vicem versam immutare, peruertere, destruere; ita quidem, ut optimum fossile rapacissimum euadat. Quare quotiescumque talem noxam inesse animalia duerunt, subito illam cobalis tribuunt.

§. II.

Homonymia.

Cobaltum veteribus *cadmia* audit, graece καδμία, arabice *climia* seu *chlimia*, gallice cadmie a CADMO, primo Thebanorum rege, Agenoris et Telephassæ filio, d) metallurgiae inuentore e). Qua vero denominatione diuersas mineralium metallicorumque productorum species complectebantur; yd:enius enim eam multifario significatu profane imo ab antiquissimis rerum scriptoribus usurpari: cadmiam vocat PLINIVS f) lapidem, ex quo aes fit DIO-

SCO-

c) Vid. BOCHART *chanzaan*, l. 18. p. 444. OLAYS MAGNVS
bif. septentr. III. 10.

d) Vid. APOLLODORVS libr. III. c. i. §. V. APOLLONIVS,
HYGINVS, LVCIANVS, HERODOTVS.

e) Vid. PAVSANIAS, S. IX. 5. TACITVS, PLINIUS, HYGI-
NVS, IVSTINVS, HERODOTVS.

f) Lib. 34. cap. 10.

SCORIDES ^{g)} cadmiae quidem vtitur termino, vtrum vero eodem sensu ac nos, merito dubitatur: nam fossilem cadmiam se non nouisse declarat, et eius exsistentiam dubiam existimat, *b)* nullamque praeter lapidosam illam statuere videtur, quam hodie *lapidem calaminarem* vocamus, et ferme vbiuis locorum deprehendimus, speciatim vero et praecipue in viciniis minerarum ferri et cupri. Quid vero intellexerit laudatus auctor per cadmiam natiuam fossilem ex cremato pyrite in *Cypro*, nondum constat, nisi forte ipse pyrites fuerit. *Cadmiam fornacum* seu omnes species factitiae, diuersis nominibus insigniebant, quales sunt *spodium*, *botryites*, *pompholix*, *capnites*, horum vero nominum certum significatum indicare, neque loci neque scopi est. Quid de hac re sentiat CRAMERVS, vid. suo loco *i)*. Nobis nec de lapide calaminari, nec de tutiae speciebus hic erit agendum, sed de sola *cadmia nativa* seu *fossili*, quam bisariam dispescit ENCELIVS *k)* in aquaticam nempe et fossilem lapidosamque, quam secundum laudatum auctorem germani *cobalt* vocant.

Schol. Mondyek apud Anglos generale videtur esse nomen *semi-metallorum* et *pyritarum*, potissimum vero *cobalti*: e Scotorum Belmettel autem, BECCHERVS zafferam et Smaltam se parasse testatur in Morosopb. p. 26. Vid. IVNCKERI Chemia P. I. p. 663.

§. III.

Hanc cobalti speciem in *duas* potissimum diuidam *Differentia*. *classes*, quarum altera *spuria* seu multis heterogeneis in-

B tertex-

g) Libr. 5. cap. 40.

b) DIOSCORIDES I. c.

i) CRAMERI docimas. parte II. p. 285.

k) CHRISTOPH. ENCELIVS de re metallico edit. 1557. cap. 31.

tertexta, altera *vera* seu ab omnibus heterogenenis libera, minera nimirum partibus arsenicalibus penitus orbata, nullumque metallum sibi improprium continens. Ad priorem classem omnes huc usque cognitas species, maximam saltem partem, refero, utpote arsenicali latice saepius imbutas, vel metallo quodam aut semimetallo refertas; ad posteriorem vero nuper detectae illae, quas tertio capite enarrabo, pertinent.

Schol. I. Non hic animus est, quando heterogenaeas voco partes arsenicales volatiles, *cobalto* principia metallorum constituentia denegare, sed illud unicum heterogeneum esse volo, quod abundar, debitamque et proportionatam quantitatem excedendo, superfoetationis speciem, siue necessario siue accidentaliter constituit, atque assimilatioi ulteriori impedimento est, vel etiam assimilatas totaliter vel partialiter destruit.

Schol. II. Illud, quod in fossili quodam praepondium haberet, iure merito denominationis vim obtinet; accidentalia autem illa dici debent, quae hac determinatione inferiora sunt ¹⁾.

§. IV.

Historia.

Quod ad minerae nostrae historiam litterariam attinet, vix ac ne vix quidem ex *veterum* scriptis quid erupere potest; manca enim mutila et dubia sunt, quae prostant; quare operaे pretium non erit, lectorem ad obscuros obscurorum saeculorum auctores aut eorum *sibyllinos* compitatores, aliosque plagiarios delegare; quae vero probabili-
ter hic adiplicari possunt, illa, vbi de usu alchemico differimus, reperientur. Nostram autem perlustrantes aetatem, dictu mirabile erit, tanti momenti materiam tam paucos invenisse amatores, pauciores indagatores, paucissimos scriptores.

1) Vid. CRAMERTI docimas. part. I. §. 352-353.

ptores. Indefesso studio historiae naturalis subiecta quam plurima examinarunt viri grauissimi, experimentaque sua orbi eruditio absque inuidia obtulerunt, immortales quoque laudes inde consecuti sunt; nullus vero illorum in minera nostra indaganda conuenientem operam nauavit. Cuius neglectus causa forte fuit, vel quod ab initio nimis abiecta et ignobilis existimata et noxias ob qualitates, saepius in ea occurrentes, reiencia potius, quam periculosa analysi enucleanda visa, vel quod fructum spei minime conformem proemii loco reportare iudicata est; principem vero rationem suo loco asterisco notare iuuabit.

Schol. Non facile aliquis de hac nostra materia verba fecit, qui non simul moneat, quanta sit inopia in hoc scribendi genere, quantumque laudis mereretur discretus experimentator, aduersaria sua diuulgando, praecipue autem si alter HENCKELIVS, ad opus adeo perfectum elaborandum, excitaretur, quale edidit ille auctor: gratissimum sane foret opus reipublicae m).

§. V.

Pater ex praecedentibus ḥphis, subiecti nostri denominationem ad remotum quidem aenam pertinere; rem vero et eius effecta germanis potissimum deberi. Quum praeter MATHESIVM et CHRONIC MIS- NICENSE nullus sit auctor, qui coeruleum illud, vitra et crystallum tingens, prius recenseat; ab illo autem tempore, quo v̄sus et producta docuere, rem vltiorem indagationem mereri, Saxonia primum operam dedit in extrahendo illo colore, quem *smaltum* vocant, et tam diu in gremio suo praeparationis *arcanum* seruauit, ut in scriptorum libris nullum vestigium illius deprehendatur, donec

B 2 tan-

m) Vid. de IVSTI Mineralog. cap. de cobalto.

tandem KVNKELIVS primus omnium breuissimis tantum
rem diuulgarit. Imo hodie adhuc existimatur, illius co-
loris veram fabricandi rationem nos plerumque latere, vni-
camque Saxoniam eam sibi vindicare posse. KVNKELI-
VM proxime secutus est ROESLERVS *in speculo metallun-
giue*. HENCKELIVS paßim in scriptis suis data occasione
obſeruationes suas adfert, dein IVNCKERVS clara non
nulla experimenta de hac minera in *conspectu chemiae* pro-
duxit. CHRIST. ANDR SCHLVTTTER, *in seinem gründ-
lichen Unterricht vom Hüttenwerck* rei mentionem quoque
iniicit, sed locupletiora sunt, quae in eiusdem auctoris ver-
ſione gallica leguntur. Nec silentio praetermittendae, vi-
dentur illae de *cobalto* relationes, quae in *transactionibus*
philosophicis anglicanis (Memoirs of the Royal Society
cet.) exſtant, concinno enim stylo necessaria multa paucis
verbis complectuntur. GESNERVS historiam *cobalti*, *zaf-
ferae* et *Smalti* anno 1744 edidit, opusculo fane accepti-
ſimo, dolendum autem alteram illius partem, dudum iam
desideratam, lucem haec tenus non adspexisse. BRAND in
actis eruditorum Vpsal. 1746. de peculiari cobalti specie
historiam et analysis refert, aliaque hoc spectantia fuoloco
protulit. Optime autem de re meritus et summe commen-
dandus est CAR. FRID. ZIMMERMANNVS, *in seiner
ober-sächſischen Berg-Academie*, rem egregie elucidatam
ibi deprehendimus IOH. GOTTSCH. WALLERIVS, *in
seiner Mineralogie*, integrum caput de cobalto habet. GEL-
LERT *in seinen Anfangs-Gründen zur metallurgischen
Chymie* diuersa, licet maxime incompleta, de cobalto re-
fert. In *Selectis physico-oeconomicis Württembergicis*,
non modo breuis quaedam *cobalti* enarratio, sed et GES-
NERI laudatum opusculum germanico idiomate versum ex-
hiben-

hibentur. Denique de IVSTI passim in scriptis suis hebdomadariis sententiam suam de minera nostra protulit, donec paucis tandem in opere suo metallurgico mentem suam completeretur.

Schol. Non negandum, diuersa, praeter heic memorata, cobaltum spectantia, paulatim prodidisse, quae vero vel in modo citatis iam pro parte exstant, vel tantum in artis cultorum aemulationem scribebantur.

§. VI.

Vidimus §. IV. *Misniam* primum cobaltum examinasse et ad usus oeconomicos adplicuisse: adiiciemus adhuc, illam hic non solum non substituisse, sed eam quoque ex confiniis Saxoniae, praesertim *Bohemiam*, ut pote vberrimo harum diuitiarum fonte, tantum hauiisse, quantum vix proprium dominium ipsi suppeditabat: hinc *Saxoniam* et *Bohemiam* fossilis nostri patriam dici posse, nemo inficiabitur, necessariam autem et solam eiusdem esse patriam, nullus asserere potest: nam singulis diebus non eaedem tantum, sed et plures aliae adhuc species vbiuis locorum dereguntur, imo non vnicam *Europam*; pro vt putabatur, sed vniuersum terrarum orbem illo refertum esse videmus; certiores hac de re nos futura reddere poterunt tempora.

Schol. I. Non *Europae* tantum, multo minus solius germaniae productum esse cobaltum, ex *finensium* relationibus videre est: quippe quibus eiusdem generis productum coeruleum ad manus erat, cum nostrum, praefrantioris licet notae, illis adueheretur.

Schol. II. Mouebatur quondam questio, vtrum Cobaltum aliis in regionibus quam in germania reperiendum esset? *Galliae* plane denegatum est, et quidem tanta cum certitudine, vt vix operae pretium existimatum fuisset, tempus terere in illo ibidem querendo; verum enim vero, contra iudicij istius

14 INAVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

assertum pugnat experientia, quae docet, illud vberimè in agris et pratis, multo magis in aggeribus et montibus huius regni occurrere. Quantum mihi ex propriis aduersariis constat, diuersas species longo tempore, quod in gallia consumisi, deprehendere licuit. Quas iple inueni sunt plurimae quarzosae circa Gebanum orientem versus, ad occasum autem micaceae, in Belsia praecipue occidentali spatosae, in meridionali vero plaga multifariam coloratae argillaceae species. Plura hue spectantia proferre possem, nisi instituti ratio obicem ponret.

§. VII.

Cobalti nota
characteri-
stica.

Ad cobaltum illud unicum refero fossile, quod pigmentarium audit (§. III.) caetera quae eodem nomine veniunt, analogice et improprie sic noncupantur (§. I.) dum nullus cobalti character ex ipsis erui potest. Id enim vocamus cobaltum, in quo essentialis illa qualitas later, quae fouet terram, in coeruleum colorem vitra et crystallos tingen tem (§. V.).

Coroll. I. Illa cobalti qualitas, coeruleum colorem effundendi, ipsis sola et essentialis est, quod vero illud annexum habeat, in diuersum colorem potissimum roseo-pallidum efflorescendi et aceruum in loco humido incandescenti n) commune ipsis est cum diuersis aliis corporibus, et ad materiae nostrae essentialiam nihil confert, rationes enim ex aliis principiis pertinendae sunt.

Coroll. II. Inde sequitur, mineras illas sic dictas ignobiles et steriles nihil, praeter arsenium, redundantes, vel a cobal torum classe exterminandas vel aliud nomen pigmentariis imponendum esse; cum vero patet ex Schol. II. §. 3. quid sit minera propria, in proparulo etiam esse debet, ad quam classem referenda sint illa falso sic dicta cobalta.

Coroll.

n) Vid. HENCKEL in seinen kleinen mineralischen Schriften p. 130.

Coroll. III. His positis *arsenici* et *cobalti* mineras non vterius confundemus; caeterasque rapaces, quocunque tandem principio fugituo potissimum stipatas, pro constante charactere ordinabimus.

§. VIII.

Hoc sane loco omnium illarum specierum, ad diuisionem nostram pertinentium, enumerationem aliquis desideraret, sed otium nobis fecerunt GESNERVS et DE IVSTI, quorum labore supersedere possumus: pigmentarias enim mineras ab aliis distinctas, præcipuasque haec tenus nota recensuerunt; completam vero relationem auenti, specialis tractatio praestolanda: ne igitur aucta videamur agere ad illos auctores lectorem delegamus, donec suotempore ipsi satisfiat. Generalioribus nunc substernendis experimentis, theorematam dein quaedam eis superstruere animus est.

§. IX.

Tanta est minerarum copia et specierum varietas, quibus *cobaltum* adnexum reperitur, ut ex mero effectu ipsius *indicatur*. V^{eritatis} min. existentia in quam plurimis dijudicanda sit, folique artis gnaro, imo metallico versatissimo, ex textura illarum externa dignosci queat. V^{eritatis} quam ad *smaltum* conficiendam adhibere solent, est *minera cobalti cinerea*, granulis vel maioribus vel minoribus striata, quae saepius cum *arsenici* minera confunditur. Tertiam vt plurimum arsenici partem continet: si vistulatione rite tractatur, remanet terra ista, quae vnica, coeruleum colorem largiendo verum *cobaltum* constituit. Diuersa tum de hac potissimum, tum de aliis quibusdam subnecstemus experimenta, vt differentia eo magis inde pateat.

CAPUT

16 INAVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

CAPVT II.

DE

COBALTI SPVRII PRODVCTIS.

§. X.

Arsenicum
ex Cobalto
sublimatur.

Omnis cobalti minera *spuria* plus minusue arsenico impraegnata est (§. IX.) quod vſtulatione inde separatur et adaptatis receptaculis colligitur *s*) ob huius vero affinitatem cum metallis *p*) consequenter et cobalto, illud penetrat, ac pro vti caetera fossilia, ita etiam cobaltum secum in sublime euehit *q*). Tertiam plerumque partem minerae nostrae confitruere solet: vnde ad eius produc̄ta adnumerandum *r*).

Terra tin-
gens rema-
net.

§. XI.

Minera nostra praevia vſtulatione (§. praec.) ab arsenico liberata, abit in crama fuscum, spongiosum, in quo proprie terra tingens latet, eaque purior vel impurior, proportione quantitatis heterogenei collidentis, cuiuscunque tandem illud sit notae, terra ista, quam *cobaltum* vocamus, *zafferam* et *smaltam* efficit, altioris dilutiorisue coloris, pro operantis lubitu et terrae tingentis conditione.

Schol. Vſtulatio debito gradu riteque perficiatur, necesse est, igne enim intentius administrata, arsenicum vim suam rapacem exserit (§. X.) ringendi copiam et efficaciam auferendo, adeo ut non quantitatem tantum minuat, sed et colore*m* ipsum.

s) Vid. GESNERI *historia cobalti* p. 25.

p) Vid. VOGEL in *institutionibus chemicis* §. 96.

q) Vid. CRAMERI *docimas. part. I.* p. 66.

r) Vid. GESNERYS *l. c.*

ipsum deturpet; unde vitrum potissimum fuscum emergit,
sicque vſtulando, vt dicunt, necatur ¹⁾.

§. XII.

Dixi ex vſtulata minera, cramate scilicet illo, quod *Vnde Regula apud metallicos Werck audit, Zafferam et Smaltam per-*
tus. hanc conflagando, regulum metallicum diuersae miscelae adhuc foeneratur, de quo inferius.

§. XIII.

Zaphera, zaphara, soffera, saphera, germanice zaf-
lor seu *Zapher-Farbe*, a pretiosi ſapphiri caeruleo colore, etymon.
quem aemulatur, nomen ſuum accepiffe probabile eft. LI.
BAVVS autem a croco, germanice Saffran, deriuationem petit. Quae de hac materia apud veteres proſtant, parum lucis nobis adferunt: euicta enim non ſunt illa argumenta, ex quibus certo demonſtrare poſſumus, remotorum faeculorum metallurgos, zapheram eandem ac nos praeparasse; cuius rei certa ratio, iudicio pollentis viri inquisitionem lane mereretur. Ambigunt scriptores, quid sit zaphera: vitrum nempe factitium an vero naturale quid? Sic HIERONYMVS CARDANVS lib 5. de ſubtilitatibus p. 208. ait, eſſe terram, que ſic vitrum tingit coerulei coloris, quam zafferam quidam appellant; eamque ſententiam, zapheram eſſe terram, nequaquam improbat IVL. SCALIGER; ANDREAS CAESARI PINVS lib. ſecundo de metallicis p. 55. ipſam concretis naturalibus adnumerat, alius eſt lapis, inquit, vitrum tingens colore caeruleo zafferam vocant. ALDROVANDVS in museo, nunc terram, nunc lapidem zapheram vocat. FERRANDVS IMPERATVS lib XXVI. hiſt nat. c. 8. ſimilem eſſe magneti et magne-

C

ſiae

1) Vid. GESNER. I. c.

18 IN AVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

siae *zifferam*. CHRISTOPHORVS MERETTVS, *anglus*, in notis ad caput XII. primi lib. ANT. NERI *arte vitraria* ad noua inuenta *zapheram* refert, eamque procul dubio germano deberi ingenio adserit: autumat illius praeparationem se detexisse, et sententiam suam ex quibusdam ibidem prolatis experimentis roborare satagit. Concordantia inter auctores respectu ad ipsum effectum, et conuenientia inter descriptiones eiusdem schematis vitri caerulei, quale nostrum existit, tandemque rudera vitri illius caerulei, remotissimis saeculis confecti, abunde nos docent, rem quidem artificibus cognitam fuisse, arcanum vero, seu modum praeparationis scriptores latuisse; et hanc ob causam ad artes deperditas merito pertinere. *Zafferam* autem *natiuam* dari, refert WOODWARD in catalog. exot. T. II. p. I. p. 27.

§. XIV.

Kunckelius primus zapherae scriptor. Monuimus (§. V.) KVNCKELIVM primum zapherae (scriptorem esse ^{t)}), nam quae ex AGRICOLA et MATHE- SIO desumi possunt, illa imbecillia nimis forent, ad zapheram inde parandam: illi enim auctores rem, paucis exceptis, intactam reliquerunt. Nos hic ordinis gratia breuissime modum indicabimus.

§. XV.

Zapherae praeparatio. Minera (§. XI.) conteritur et per arctum cribrum mittitur, idque repetitis vicibus calcinando, laevigando, cribrando, donec tandem cum duplice silicum puluerisato rum portione dolii ingeratur, postque affusam sufficientem aquam in lapidem (quod mirabile dictu) concrecat, qui de in ad exterias regiones transfertur. Hodie solum *cobaltum vstulatum*, absque silicum additione, vendunt; id vero olim

^{t)} In arte vitraria p. 46.

olim ideo facere verebantur, ne sic forsan arcanum palam euaderet.

§. XVI.

Zapheram illam pictores, porcellaneis suis sigulinis-
que vasis pingendis adhibent; in quem finem massam, vel Zapherae
maiori vel minori fluoris proportione, diluunt, dilutamque
communiunt, atque praeparant, donec ad vſus suos apta
reddatur; *cobaltum vſtulatum* vero, ipsis longe gratius est
zaphera, tum propter leuorem molem, tum etiam, quia
facilius et nitidius vſui accommodatur.

§. XVII.

MERETTVS arenam, zapherae compositionem in- Meretti sen-
gredi iam ex eo coniiciebat, quia et lingua et nudo manu- tentia.
um tactu dignosci possit, aqua forti vero superflua, arenae
pelluciditas distincte perspiciatur; clariss. autem virum vel
hic dein hallucinatum fuisse, eumque a minori ad maius ar-
gumentatum esse, inde saltem patet, quod *lapidis calami-*
naris exsistentiam in ipsa demonstrare conabatur ex eo, quod
in affusam aquam fortem aut oleum vitrioli, perceptibilem
actionem nullam exserat, cum illis menstruis neque ebulli-
endo, neque solutionem subeundo, aut illa tingendo: quea
plura de hoc arguento profert, vid. l. c. Obscuram quo-
que rei ideam habuisse SAMVELEM DALE u) videre pos-
sumus, quando ait, *Flores*, dicti zafferus, *ex cobalto subli-*
mantur, *pro tingendo caeruleo colore*.

§. XVIII.

Ad *smaltam* nunc ordine progredimur, quo nomine *Smaltae bo-*
veniunt *amausa*, *encausta*, gallice *email*, germanice *Smalt monymia*.
oder *Schmeltz-Glas*. εγκαυστήρ, α καιω comburo, quibus de-

C 2 nomi-

u) In opere mineralog. p. 700.

20 IN AVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

nominationibus quaevis comprehenduntur vitra fluxilia,
quocunque tandem colore tincta α). Nos hic de vnica
fmalta sermocinabimur, vitro nimirum illo opaco caeruleo
praecipuo et vero cobalti produc γ to γ) cuius ope crystallis et
vitris color caeruleus, pro nutu et instituti ratione conci-
liari potest, magis minusue intensus.

§. XVIII.

$\ddot{\text{E}}\text{γκαυσοποι}$ ad artes admiratione sane dignissimas
 ia. referri debet, dum eius ope omnes pretiosos lapides non
solum aemulari, sed et longe superare possumus \mathfrak{z}) idque
pro varia coniunctione et extensione $\tau\mathfrak{s}$ Φλογισ $\hat{\text{e}}$ arbitrarii
metalli α). Quantum artificii in ipsa lateat, ex veterum pre-
stantissimis monumentis, nulla nobis arte imitabilibus, abun-
de docemur. Diuulgatis KVNCHELII scriptis eximia illa
 $\ddot{\text{E}}\text{γκαυσοποι}$, quae tamdiu in obscuris delituerat, rursus in-
ualuit, nouumque iubar ex ea nobis affulsit, sed inge-
nue farendum, ingens discrimen inter hodierna et veterum
 $\ddot{\text{E}}\text{γκαυσ}$ interesse: tantum enim abest, ut ipsorum perfe-
ctionem attingamus, ut potius defectum nostrum qualibet
die magis magisque experiamur: imo Venetiis, vbi potis-
simum illud artis spagiricae eximum artificium floret, cuius-
que encheireses studiose occultantur, nihil deprehendimus,
quod veterum amau sa adaequet.

§. XX.

α) ATHANAS. KIRCHERI mund. subterrani. P. II. p. 153. seq.

γ) IVSTI mineralog. §. 186. item CRAMERI docimas. P. I.
§. 368.

it. WALLERII mineralog. p. 300. it. MACQVER chymie P. II.
p. 413.

$\mathfrak{z})$ Conf. ATHANAS. KIRCHER. l. c. it. KVNCHELII ars
vitrar.

α) Conf. IVNCKELI chemia P. I. tab. XIX. de Vitrificatione.

§. XX.

Perfectissimum autem *szynawer* in sua specie nostram *Smaltae* con-
esse *smaltum* (§ XVIII.) ex ipfissima simplicitate sua et esse- fectio.
Etu videmus; eadem fere ratione, ac *zaffera* praeparatur,
ab ipsaque in eo tantum differt, quod iam existat vitrum
perfectum, sequenti modo conficiendum. Materiae no-
strae vſtulatae (§. XI) certa arenae quarzosae seu silicum
praeparatorum proportio e. g. dupla vel tripla; quantum
nimirum perferre potest *cobaltum*, cum anatica quantitate
cinerum clauellatorum additur, mixtura valido igne fundi-
tur, et sic emergit vitrum saturatissime caeruleum seu opa-
cum, quod rursus cum larga frittae copia mixtum et fusum
exquisitissimo colore diluitur, pictoribus et cerinariis aequē
ac figulis et lotricibus in vſum b).

Coroll. Explicata differentia, quae inter *zafferam* et *smaltam*
intercedit, facile perspicias, perinde esse, virum ad *smal-*
tam conficiendam, iam praeparatam *zapheram* sumas, an vero
species *zapherae* compositionem ingredientes.

§. XXI.

Smalta sic debite praeparata, laeuigata et ab omni *Continuatio*.
immunditie ac superfluo separata, pro ratione coloris sui
diuersis dolis inditur, quae peculiaribus litteris, puriorem
vel impuriorem colorem significantibus, notantur. Specia-
les huius et prioris §phi encheires fuse descriptas, cum,
vniuerso huic rei necessario apparatu, saepius citati auctores
exhibit.

§. XXII.

Vſum *oeconomicum* vidimus (§. XX.); *medicum* hic *De vſu me-*
nullum ipsi assignare poterimus: partium enim vitri confi- dico *smaltae*.

C 3 gura-

b) Vid. *GESNERYS lib. cit. p. 31. Select. physico-economica*
T. I. p. 510.

guratio sola sufficit, ad vsum vitri cuiuslibet internum prohibendum, quippe cuius acutissimi et durissimi anguli, tenuerrimam ventriculi et intestinorum texturam illaesam vix lambere possunt: nam in illis viis talis succus aut tantae efficacie menstruum non exsistit, vt fixa illa corpora, quae per aquas stygias haud ferme immutantur, soluere et ipsorum acutas partes obtundere queat; si quis vero huic malo obviare, aut defectum istum arte sua ad amissim supplerre sciret, is sane virorum energiam in re medica etiam indagare posset; nec cassum forte laborem institueret.

§. XXIII.

*Cobalti reguli
gulas.*

Peruenimus tandem ad ipsum *cobalti regulum*, metallum illud, quod in confidencia *finita* plerumque secedit saepiusque ex variis aggregatis conflatum deprehenditur; vnde tot variae nec non contradictoriae auctorum de isto produc \circ to leguntur sententiae; illorum saltem, qui penitiori scrutinio rem subiecerunt, nullus non specialem eius conceptum sibi format, atque peculiare plane schema, argumentis qualitercumque probabilibus roboratum, exhibere nititur. Alii ob magnam *arsenici* copiam, quae ex cobalti mineris plenisque educitur, itemque ob similitudinem quandam et conuenientiam inter *cobalti* et *arsenici regulum* aliquando deprehensam, vix villam differentiam inter utrumque statuendam esse censem. Alii ex *cupreis*, alii ex *ferreis* partibus illum contextum esse volunt, alii ex utrisque simul, argumentisque ab effectu deductis, veneri et marti non solum regulum, sed et ipsum colorem tingentem prorsus adjudicant, denique post immensas cum ferro et arsenico institutas operationes, huic potissimum tantam efficaciam tribuere, palamque ei dare adlaborant; demonstratio-
nibus autem nondum satis euidentibus redditis, adhuc sub iu-
dice

dice lis est. Sed si dicendum, quod res est, certe deprehendimus, omnes artis peritos, post diuturnos et indefessos suos labores, omnino haesitare, nihilque certi decernere, quod sufficientibus et validis rationibus extra omnem dubitationis aleam rem poneret.

§. XXIV.

Adeo dubia decisio mansit, donec tandem BRAND *eum adnum
in artis Vpf.* primus omnium, *cobaltum iure merito ad semerat semi-*
mimetta referret. Plurimos quidem hic offendit *dissen- metallis*
tientes, sed quoniam aeque artis non est dissentire ac *pra- BRANDIVS,*
stantiorem sententiam producere, melior autem huc usque
nulla prolata sit, tum BRANDIVS non multum habet, quod
adhuc timeat. Ad seclas etiam non paucos sibi fecit; unde
postmodum WALLERIVS *in ordinandis fossilibus* aliquae
grauissimi viri eundem tramitem secuti sunt.

§. XXV.

Ad *noua inuenta* hic noster *regulus* pertinet; haud *Eius fata.*
enim dudum innoutuit: pro noxio autem et inutili recremen-
to primitus habebatur, cui vix metallici quid inesse vole-
bant: de ipsis utilitate focordes metallicolae, plus curae
gerebant in illo remouendo quam examinando, quin potius
primo volenti, eum grato animo diripiendum relinquenter,
ne nimia mole grauarentur; quamprimum autem perspe-
ctum est, eandem efficaciam tingentem in ipso latere, ac in
minera, aliam amplexi sunt sententiam chemici; hinc quo-
que post diuersa experimenta semimetallicis eum adnumerare
non dubitarunt.

Schol. In aliud etiam, licet viliorem, usum regulum nostrum
a metallicolis conuerti, docet GELLERT *in metallurgia*
p. 35.

§. XXVI.

24 INAVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

§. XXVI.

Quomodo
obtinetur.

Tribus modis *regulus cobalti* obtinetur, trifariamque diuisiōnem subit: vel enim *sublimatione* vel *praecipitatione* impetrari potest; vel tandem naturale illud concretum *cobalti regulini* nomine nobis venit. Ad primum quod attinet, is *arsenici* proſus, non vero *cobalti* produc̄tum est; hinc etiam nomine tantum hic recensetur (vid. §. XXXVII.). Ad alterum autem quod spectat, inquisitionem nostram, quantum ad scopum ſaltem ſufficit, ingredietur; de tertio illud monebimus, crama eſſe quam plurimis metallis intertextum, potiſſimum vero et fere temperum *bismuto* reperiendum; metallicolae illud vocant (*ein Kind von 400 Müttern*) et proprie reguli nomen ipſi non competit; eſt GESNERI cobaltum solidum ſpiffum, quod maximam in fusione cum fritra dimittit reguli portionem. Ostendemus dein Cap. III. dari etiam *regulum natuum*, qui encheiresi chemica nihil arsenicae nec metallicae indolis mentitur.

§. XXVII.

Relationes generaliores. Si faciem extērnā reguli nostri (Nri 2di §. praec.) ſpectes, illa diuersa, pro ratione puritatis eius, exiſtit, generaliter vero plumbei coloris eſt, fuſco intersperſo, marcasitam proxime aemulans; mox ſtratus, mox et plerumque in fractura granulatus, qui fuſus metallicas dotes generaliter habet; grauitate enim figuraque metallica gaudens, igne anemio debiliore funditur, et inde exemptus in conuexam ſuperficiem post refrigerium coalescit; ſub malleo fragilis eſt, et caeterorum metallorum ad iuſtar, principio suo inflammabili, continuato igne orbatuſ, in calcem deſcīt, Φλογιſθ̄ vero ipſi reddito, priorem formam, licet non abſque detrimento, recuperat, quod tamen in qui uſdam

dam casibus non aequa contingit. Calx illa seu terra fixior, quae in omnibus metallis diuerso colore, pro metalli diuersitate, tingens deprehenditur, in subiecto nostro caeruleum colorem dat. Ab aqua, aere, aut calore, atmosphaericum admodum superante, vix alteratur, nec eius substantiae quid, praeter adhaerentes particulas salinas aut arsenicales, varie distincto colore conspicuas, immutatur. Debita encheiresi decentique ignis regimine calcinatus, non adeo multum ponderis sui amittit, quo magis vero calcinatur, eo inertiad ad tingendum evaudit eius terra. Ceteris metallis, fusione sed non indiscrete, se admisceri patitur, ad quod vero perficiendum hospes in hac arte parum vel nihil impletabit. Generaliter in diuersis menstruis soluitur; omnes proprii semimetalli dotes habet, adeoque reuera semimetalium constituit, nulla arte tam respectu sui, quam productorum suorum potiorum imitandum.

S. XXVIII.

Omnium metallorum amicissimum ipsi est *ferrum, Cum Ferro.* quo cum intimorem subit miscelam: ex eorum combinatione, crama ex albo in cinereum vergens plerunque nascitur, parum malleabile, vix ductile, granulis aliquando interspersis: quo puriora vtraque sunt, eo melius se inuicem solunt; si purissima, massam praebent vibus mechanicis non inpropriam; optimum saepius ex *cobalto* elicetur *ferrum*, nullo plane modo per ipsum adulteratum, quin potius praestantia in ferro communi nunquam reperiunda, istum longe superat c), quo magis autem ferro impraeformatum est, eo parciorem et viliorum *finaltae* copiam largitur, nullo puri *arsenici* augmento reparandum damnum, nec corrigibile, nisi per ipsam alterius immaturioris speciei *co-*

D

balti

C) BRAND in actis Vpf.

26 INAVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

balti additionem. Ferrum absque magna difficultate a *cobalto* separatur.

Coroll. Hinc videmus, ferri principia ad inducendum colorem caeruleum, soli *cobalto* solem, nihil conferre, e contrario inertiorem illam virtutem reddunt; quo magis enim a martiali principio alienum est *cobaltum*, eo pulcriorem producit colorem d). Nec ad roborandam sententiam suam strenui defensores HENCKELII experimentum chalybeum, e) nisi precario, hic applicare posunt; quamvis enim huius viri auctoritas magna sit, ad experimenti veritatem indubiam redendam; singulare tamen nimis illud est, quam ut ad vniuersalem caerulei coloris theoriam struendam sufficiat, praecipue quia saepissime repetitum idem a diuersis chemicis, nunquam eundem effectum rursus exseruit, imo ipse HENCKELIUS ingenue faterur, id sibi semel tantum successisse; undeclare patet, tale argumentum hic inualidum esse. Neque maioris roboris est illa instantia, *cobaltum* fere semper *ferro* stipatum reprehendi; negatur enim adserum illud, et triginta imo plures species, omni martiali principio orbatas, producere possum, ex quibus nequidem probabiliter, multo minus certo, vel minima martis vestigia vnuquam demonstrabuntur. Centena dein prostant argumenta, ex quibus e contrario ferri insufficiencia perfpicitur f).

§. XXVIII.

Cum Cupro. *Cuprum* subiecto nostro admixtum, ipsi tenaciter adhaeret, faciem albicanter fragilitatemque maiorem vel minorem induit, et peculiarem sonum adipiscitur; ista corpora semel vnit, non nisi difficulter atque apta encheiresi, perfecte dein separantur, adeoque notabile dispendium ferunt; debito modo destrcta, vitriolum consideratione dngnum

d) Vid. SELECTA phys. oeconom. Tom. II. p. 27-28.

e) HENCKELS kleine chymische Schriften p. 573.

f) Selecta phys. oeconom. T. II. p. 21.

gnum inde fatiscit. *Cobaltum a cupro liberatum*, et solito more tractatum, pristinam tingendi efficaciam non recuperat, nec eundem caeruleum colorem largitur, in totum aliquando immutatur, pro diuerso ignis regimine; differt autem pro ratione miscelae sua, variis coloribus distinctus, non nunquam aquamarinus euadit. Additis pluribus salibus metallicis, contigit semel, vt ex tali *cobalto* egregium spadiceum vitrum obtinerem, idque fatis constans. Nostandum generaliter, *cobalti* effectus in *cuprum* a copia superfluis *arsenici* maximopere pendere; raro enim totum quantum ab ipso expellitur; quae differentia optime in vero cobalto perspici potest. *Cobaltum a cupro separatum, venereum* saepius exhibet *regulum*. In *cobalto* autem nihil venerei deprehenditur g) quicquid de eo referant auctores; studiose diuersa in hunc finem institui experimenta, sed perperam. Quod si tamen alicui contigisset particulas quasdam venereas inde eliciisse, illud sane accidental modo et casui maxime fortuito adscribendum foret, aeque ac accidentale est cuprum in fossilibus multis. HENCKELIUS notauit h) neque mineram, dictam *Kupfer-Nickel*, cupri quid praebere, neque *cobalta* e viciniis mineralium cupri vñquam erui, cum tamen minerae istae, copioso *arsenico* saepius foetae sint. Hinc considerationem non meretur illa quaestio, vtrum ex venere caeruleus color proueniat?

Coroll. Differentiam effectuum *cobalti* admixtis ipsi heterogeneis deberi, facile videmus; ex eadem enim causa idem effectus sequitur; cum autem hic diuersus deprehendatur, diuersa quoque concurrentia diuersamque causam agnoscere debemus.

D 2

Schol.

g) *Philosophical transactions abridged*, Vol. VIII. p. 179.

h) RENCKELS *kleine mineralogische Schriften*, p. 572.

Schol. Cuiuscunque colorum theoria et effectus ex ipsorum miscela leuiter tantum innoteſcit, facile perſpicet, caeruleum cupro natales fuos non debere, quin potius cupri color viridis ex caeruleo naſcatur. Caeruleum enim colorem perſetum eſſe, iam pridem plurimi demonſtrarunt ⁱ⁾, ex caeruleo variis colores variae miſcelae, non vero ex variis miſcelis caeruleus perſetus vnuquam obtinet.

§. XXX.

Cum Stanno.

Pro vti *ftannum* ab omni metallico additamento alteratur, et in vicem versam; sic per *cobaltum* fragilissimum euadit: nihilо feciſ tamen firmiter coniungi poſſunt, maſſaque inde enata aliquam meretur considerationem; qui poſtiffimum temperatūrae leges poſt vtriusque explorationem rite obſeruat, ftanni inde praeparata non inepta perſicere poſteſt, vſui mechanico et oeconomico valde habilia; non modo enim hac ratione ſonorū fit, ſed etiam ſplendoris et duriſatiſ incrementum capit: viceſima pars *cobalti* ftanno addita, quibusdā videtur legitima proportio ^{k)}. BA- SILIVS VALENTINVS, vbi de *bismuto* loquitur, in *lib. II. cap. 10.* nexum aliquem inter ftanni mineram et bismuthum ſtatuit, quod etiam de *cobalto* valet per rationes (§. XXXVI.) adducendas.

§. XXXI.

Cum Auro.

Quantum ex aliqubis cum *auro* iſtitutis experimen- tis mihi conſtat, ſubiectum noſtrum illud quidem ingredi- tur, et quo priuor regulus exiſtit, eo intimorem cum eo fert miſcelam, aurum vero aequē per ipsum alteratur ac ar- gentum, cum hac tantum differentia, quod facilius ab illo liberari poſſit: vitrificata intimam ſubeunt connexiōnem, for-

ⁱ⁾ *Selecta phys. oeconom. T. II. p. 346.*

^{k)} GELLEKRT in metallarg. p. 328.

formosumque praebent colorem, pro diuersa proportione
diuersa variantem.

§. XXXII.

Plumbum aequa difficulter a *cobalto* soluitur ac ar- *Cum Plumbo*
gentum, similiaque multa phaenomena hic, vt ibi, se ma-
nifestant; illis enim anatrica proportione fusis, regulus inde
emergit bipartitus, binaque metallia cohaerentia tantum de-
prehenduntur, plumbum specificie grauiori in fundo, regulo
vero nostro supernatante, quasi nullam mixtionem subiis-
sent; quod si istud *cobalum* cum marte fundatur, parvus
regulus saturninus subsidebit *l*). Si *cobalto*, cum *nitro* prius
fuso, plumbum addas, faciliorem et intimorem feret
mischelam. *Plumbum* cum $\frac{1}{20}$. parte reguli talis fusum, pro-
xime stannum aemulatur.

§. XXXIII.

Magna satis occurrit resistentia in combinando *argen-* *Cum Argent-*
to cum subiecto nostro: aegre enim, et in forma metallica *to*.
nunquam, perfecte se inuicem soluunt, solutaque rursus
solidescendo pro parte abscedunt, argentum grauitate sua
in fundum ruens, supernatans regulus illud deserere videtur,
relictis semper sui vestigis; fragilis enim inde euadit *luna*,
mutuumque *cobalto* colorem dat et recipit: verbo, *cobaltii*
imperfectio *argenti* perfectiones absorbet, semelque con-
iuncta difficulter separantur, atque non nisi cum lunae iactu-
ra, ex cobalto tamen rursus recuperanda. Nou nulli etiam
argento tingentem efficaciam *cobalti* tribuere nituntur, co-
baltumque *argenti* mineram immaturam esse dicunt, ex eo,
quod non modo argentifera saepius deprehendatur, sed er-
iam ex combinatione et effectu illud colligunt: ardua autem
res esset demonstratu, licet multo maiorem probabilitatem

D 3

inuol-

D l. c. p. 127. et 1324.

30 IN AVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

inuoluit quam quidem mars et venus. Inde vero facile patet, mineram *cobalti* non ineptam *argenti matricem esse m*), et magis adhuc, cum videmus, plerasque argenti mineras, potissimum diuitem illam vitream, vulgo (*Glass Ertz*) vix absque *cobalto* erui.

§. XXXIV.

Cum Mercurio. Modus nondum innotuit, quo subiectum nostrum cum *mercurio* in amalgama coire queat *n*), interim non negabo, illa non esse corpora inimica: illorum enim praeparata miscelam vtique ferunt, imo studio, labore et patientia nihil obstabit, quin artifex egregium currentem *mercurium* ex *cobalto* eliciat, non aeque tamen ex *regulo*, quam ex minera. Rationem procedendi facile, vt reor, perspicet gnarus; superfluum itaque foret in illa describenda hic immorari. Vid. BASIL. VALENTINVS l. c.

§. XXXV.

Cum Zinco. De *zinci* relationibus cum *cobalto* nihil ferme penes auctores reperiendum: nullus, quantum ego noui, operam dedit in illis intimandis; admodum difficulter enim in vnam massam coeunt, cuius impedimenti causa a *zinci* volatilitate pendet, quod nimirum tam leui ignis gradu sublimatur et flammam concipit, vt ante solutionem reguli *cobalti* maxima *zinci* pars iam auolarit: nihilo secius, quamquam ob eam rationem in totum coniungi non possint, ex parte ramen aliqua alterum alteri se admiscer, ita quidem, vt post effusionem egregius regulus obtineatur, qui parum fragilis, potius constantem fatis tenacitatem offert: nam parca *cobalti* quantitas *zincum* alterare haud potest. Quod si au-

m) Philosophical transactions l. s. p. 181.

n) GELLERT in metallurgia. p. 132. Item VALLERIUS in mineralog. p. 300.

si autem perfectius haec corpora vnire velis, *zinci* inflam-
mabilitatis ratio erit habenda; quamobrem duobus in fur-
nis operatio perficiatur necesse est, ita quidem, ut fuso *zinco*
ignis leuissimo moderamine, *cobaltum* etiam fusum ipsi ad-
fundatur; hoc loco tempestive prospiciendum erit, ne flam-
mam concipiatur: facile enim contingit, ut tempore affusio-
nis ista omnem spem fallere videatur.

§ XXXVI.

Aequo parum de *antimonii regulo* cum subiecto no- *Cum regulo*
stro proferunt scriptores, imo ne vestigium quidem tenta- *antimonii.*
minum, in hunc finem institutorum, occurrit: cum tamen
omnium optime vnum alterum soluere, simulque coadu-
nari, experientia doceat. *Regulo cobalti* cum duplo *reguli*
antimonii simplicis fuso, breuissime copulantur, et effusa
massa regulum externa facie porosum, foraminibus hinc
inde anfractuosis adornatum, praebet, intus contra solidus
est atque spissus, minutissimis granulis interspersus, coloris
alblicantis, cui de pondere nihil abscessit. Dicta vero pro-
portione *cobaltum*, cum *regulo antimonii martiali* fusum,
priori omnino similem, sed striis splendentibus nitidis con-
spicuum sifist regulum, summopere fragilem, non secus ac
præcedens. Vterque in aqua forti soluitur, solutionem-
que viridem exhibet; regulus autem simplex tenax deposi-
tum metallicum ad fundum cucurbitulae deiicit, totum vi-
tri parietem inferiorem obducens. Praecipitatio, quae de-
inde ex aqua forti fit, praeceps sane non est; lente enim
succedit tandemque dimittit puluerem lomento simillimum.

§. XXXVII.

LINNAEVS *cobaltum* ad *bismuthum* refert, quan- *Cum bismu-*
do dicit, *studio banc speciem ad bismuthi genus aman-*
dauis

dani cer. o) quantum autem inter vtrumque relationis sit, id ex POTTII *descriptione bismuthi* colligatur, nostrorumque experimentorum ratio mutua habeatur; sic facile perspicendum erit discrimen; dum ne vnico quidem momento conueniant, imo adeo sibi aduersantur, vt neque rite combinari neque perfore misceri possint, quounque tandem artificio utraris; seipsum semper prodit bismuthum. Quando GELLERT *bismuthum cum cobalto* lubenter coire affirmat p) sibi ipsi contradicere videtur: oppositum enim p. 35 adserit; sed ibi de *minera* hic de *regulo* ipsi sermo est; sequenti enim linea testatur cobaltum bismutho formam lamellosam nequaquam demere posse. Vt tamen horum corporum cognatio clarius patet, sequentia breuissime referre iuuabit. Minera bismuthi cum cobalto praecipue reperiuntur q), et quidem in *germania* vix absque eo, adeo vt plerumque cobalto impregnata sit, quod producta affatim demonstrant, faciliusque ex minera bismuthi pura percipiatur. Quantum vero *cobalti* soleat continere, aut cobaltum *bismuthi* incertum est. Bismuthum a cobalto quantum fieri potest liberatum, separatim pertractatur, vt plurimum autem ita intertextum est, vt semper memorabilis eius pars remaneat; vnde in vitrificatione regulus roseo-pallidus abscedit. Tale bismuthum raro vel nunquam existit adeo purum, quam illud, quod ex propria minera obtinetur: immixtam enim terram *cobalti* fons, quae sola aegerime imo plane non vitrescit r). D. LYNCK horas Octo in fornace vitrificatoria ipsam detinens, praeter duas vel tres macu-

o) LINNAEI *systema naturae* p. 173.p) Eius *Metallurg.* p. 128.q) POTT de *Bismuto* p. 36-37.

r) POTT p. 173.

maculas caeruleas, fabulo tigilli *bassiaci* adscribendas, nihil mutationis obseruavit, reliqua massa grysea, vt antehac, manente s). Caeruleum colorem, sed non adeo nitidum, largiuntur istae sic dictae *Wismuth-Graupen*; minera contra bismuthi mera talem effectum nullo tempore habet; vnde necessario sequitur, tingentem virtutem non a *bismutho* sed ab vnico *cobalto* pendere. Nihilo secius tamen bina haec corpora semel vnta non amplius perfecte separanda sunt, quamuis producta toto coelo differant. Eorum etiam combinatio, certo quodam respectu, haud ingratae efficacie est. Iterfaciendo per *Bohemiam* chemicus aliquis in notitiam meam veniens ad montes *Gigantaeos* dictos, limpидum liquorem in phiala, epistomio probe obturata et sigillata, mihi monstrabat, et quam plurimis encomiis ipsum efferebat, mirabilique effectu praeditum *mercurium lunae* ipsum nuncupabat, qui secundum huius planetarum phases creceret et decresceret cet. Praeterea afferebat, illum ex mero bismutho cobalti absque ullo additamento extraictum esse. Istim efficaciam quidem vidi, vtrum autem sinceram compositionem mihi narrauerit, adhuc dum ignoro. Tale *monstruum* ex *bismutbo* confici posse dubitat IVNCKERVS t). Ad *atramentum sympatheticum* quod attinet, ex bismutho solo nunquam, sed semper ex *cobalto* aut vtriusque aggregato, elaboratur u): ex illibato autem cobalto optime perfici potest, illudque varii coloris pro varia cobalti specie x): vnde luculenter patet, *bismuthum*

E

thum

s) *Philosophical transactions.* I. c. p. 179.

t) In *conspicuū chemiae part.* I. p. 1053.

u) *Selecta Phys. oeconom.* P. II. p. 23.

x) l. c. p. 26.

tbum hue nihil conferre, sed vnicum *cobaltum*. In praeparanda simalta *cobalti regulus* bismutho supernat y).

§. XXXVIII.

Cum arse-nico,

Controuersiam illam, quae *arsenicum* et *ferrum* proveris *cobalti* principiis tuerit, paucis iam (§ XXVIII. Schol.) attigimus, illamque HENCKELIO natales suos debere diximus; hic loci breuissimam mentionem relationis horum corporum iniicere, non superfluum erit. Per vulgus notum est, corpora mixta in illas resolui partes, ex quibus constant, illasque partes simul sumtas et combinatas, totum illud constituere, quale antea erat, illas etiam leges illius corporis sequi, ergo homogeneas ipsi esse, et eundem effectum exferere, rursusque vniiri posse, per consequens eius essentialia dici: vnde colligendum, oppositas leges sequentia esse heterogenea. Iraque si *verum cobaltum* consideremus, neque via sicca neque via humida *ferrum* et *arsenicum* inde elici potest, multo minus ex arsenico et ferro productum aliquod, cobalto simile emergit; ergo non eius sunt principia essentialia; per oppositionem praeterea videamus, longe alia ex illis, quam ex cobalto educi, nullaque arte metallum illud, quod *regulus cobalti* audit, effingi posse; tandem talis est heterogeneitas inter *cobaltum* et *arsenicum* ut reuera potius per illud destruantur, quam ipsi assimiletur, et non nisi summo labore demum se inuicem recipiant. Ex eorum combinatione nigrum splendidumque crama postremo nanciscimur z). Denique etiam accedere notamus, cobaltum constantem semper effectum dare, omnesque leges ceterorum metallorum sequi, ex quo sit, ut *cobaltum* sit metallum sui generis.

§. XXXVIII.

y) Vid. ZIMMERMANNS Berg-Academie. p. 261-262.

z) GELLERT metallurg. p. 126. 316.

§. XXXVIII.

Nitrum optimum cobalti menstruum esse, non im- Cum nitro.
merito auctores existimarunt: quantum enim ex cognitis ex-
perimentis videre est, egregie illud via sicca, maxime autem
humida, resolutum: (vid. §.XLIV.) via sicca sicut cetera metalla,
ita etiam nostrum notable dispendium fert, variasque for-
mas nanciscitur, et eius ope facili satis negotio ab heteroge-
neis quibusdam volatilioribus liberatur. Melius vero men-
struum exsistit alkali mineralisatum a).

§. XL.

Non ultimum quidem occupat locum *sulphur* respe- Cum sulphur-
ctu subiecti nostri, varias etenim ipsi conciliat dotes, arti- re.
ficiis attentione non indignas, potissimum autem si medi-
cum usum respiciamus. Praesentissimum satis effectum in
*mineram nostram exserit, dum, si tribus *cobalti testacei**
*partibus admixtum, sublimetur, in *rufigallum* abit b), id*
quod solius arsenici cohabitantis productum est, massa vero
superstes probe calcinata, viridem solutionem, rufumque
*praeципitatum exhibere solet. Adeo acerbe *cobaltum* a sul-*
phure non soluitur, quam quidem GELLERTVS adse-
rit c) modo congrue procedatur, adipiscitur autem colo-
rem rubeum.

§. XLI.

Non inepit se gerit *sal commune* erga cobaltum, le- Cum sale
gemque zinci potissimum sequitur. communi.

§. XLII.

Minera nostra legitime extracta, nitidam rubicundam Cum vitrio-
substantiam sifit, et tantillum viridis vitrioli, coloris satu- lo.
E 2 rati:

a) Vid. HENCKELS kleine Schriften p. 44.

b) GELLERT metallurg. p. 294.

c) GELLERT l. c. p. 296.

36 INAVGVRALE SPECIMEN PHYSICO-CHEMIVCM,

rati: producta attentione digna; copia autem non solum minerae, sed etiam tempus et iusta circumspectio ad istud experimentum requiruntur d).

§. XLIII.

Cum sale alkali.

Quam bonae frugis sit ipsum *sal alkali* vulgare, optimo norunt qui subiectum nostrum in usus oeconomicos vocant; alkali vero purioris notae, pro ratione exaltationis suae efficaciam magis sensibilem et frugiferam exhibet.

§. XLIII.

Solutiones

via humida. ceteris *spiritui nitri*, in quo violenter efferuescit e) si in 4-6. partibus illius menstrui soluatur prout minera plus minusue pura est, solutio vi plurimum diuersicoloris euadit. Illud, quod dicitur *Kupfer nickel*, viridem solutionem praebet; hoc aequre contingit in cobalto cinereo. Observante LYNCKIO solutio intense flava pro caeruleo virro aptissima est. Sed *cobaltum bis muri* roseum colorem offert. *Acido vitrioli* aut *salis communis* non adeo soluit cobaltum quam quidem corroditur f) abitque in puluerem albicantem, id quod praesertim in acido virrioli euenit: praefstat igitur *spiritus nitri*. Hae sunt generales eius notiones, quibus via humida semper explorari potest cobaltum: solutiones in aqua forti rubicundae sunt; quo saturiores illae, eo melioris indolis est materia ad caeruleum; unde et quantitas et qualitas tingentis energiae diiudicanda; quae vero solutiones fuscae et magis adhuc a rubro recedentes euadunt, ex talibus mineris nec bona *smalta* nec *atramentum sympathet*.

d) *Philosophical Transact.* p. 177.

e) l. c. p. 178.

f) GELLERT metallurg. p. 113-114. item *Philosophic. Transact.* p. 178.

parabolicum praeparatur g). Quo uberior *sulphure* aut *arsenico* minerae scatent, eo segnissim illas adgreditur *aqua fortis*, neque in totum ab ipsa resoluuntur. Neque vero minus actiuia se gerit *aqua regia* h) quae operando et feruendo auctius remissiusue viridescit, peracta autem solutione eandem, quam cum aqua forti, induit faciem i). Iugiter tamen differunt solutiones in plerisque *cobalti* mineris, pro diuersis earum speciebus, quod vnicce ex accidentaliter admixtis accessoriis prouenit; *verum* autem *cobaltum* constantem colorem rubicundum seruat, pro ut fere *regulus verus*. Cuinam autem potissimum metallo intertextae sint, exploratu facile est, si *salis* seu *solutionis* illius, qualis pro atramento sympathetico paratur, lamellis politis cupri seu ferri tantillum adfricitur; cuprum enim ferreas lamellas proprio suo colore, argentum albo cupreas obducit, addito porro isti *sali* puluere gallarum nigrescens solutio martem ibidem contineri demonstrat k), cuius admixtio pro maiori sua copia inertissimam et saepe numero procul a caeruleo colore abscedentem *smaltam* reddit l). In regulo soluendo genuina propemodum occurrunt phoenomena: quare WALLERIO non adsentire possum, quando aegre ipsum solui perhibet.

§. XLV.

Alkalium ope subiectum nostrum ex solutionibus illis *Praecipitatio* praeципitur, et quidem nigri coloris per alkali fixum, *sat*ura-

E 3

tura-

g) *Select. Physic. Oeconom.* T. II. p. 23.

h) GELLERT metallurg. p. 115.

i) *Select. Phys. Oeconom.* T. cit. p. 24. it. WALLERIVS in M-
neralog. p. 300.

k) *Select. Phys. Oeconom.* l. c. p. 27.

l) l. c. p. 28.

turate rubri per alkali volatile *m*) per oleum tartari per de-
liquium in forma pulueris nitidi caerulei coloris ad pingen-
da porcellanea sicilia *n*). Si solutionibus illis spissum ci-
nerum clauellatorum lixiuum adiicias, rubra seu elegans
rosea calx praecipitatnr, quae dulcorata leuissima molis
puluerem eumque subtilissimum *cobalti extractum* ribi si-
ster, ad encausta pingenda utilissimum praestantissimum-
que *o*). Vtrum autem vi actiua praecipitandi subiectum
nostrum gaudeat, certo afferere nequo.

§. XLVI.

Sublimatio. Quid per *sublimationem* obtineatur, paucis iam no-
taui; illud vnicum hic adhuc inferendum est, quod *cobal-*
tum debito modo ex vase retorto lapideo clauso aliquo su-
blimatorio aperto igne sublimatum, particulas volatiles tali
euaporatione dimittat, quea quidem ab initio fuliginosae
deprehenduntur atque *sandaracha* stipatae sunt; hinc etiam
sulphure communi non prorsus destitutae (§. XL.), inde au-
tem splendidum regulinum semimetallicum aggregatum (§.
XXVI.) nascitur, quale ex albo pyrite obtinetur, cuius splen-
dor, si intra horas aliquot imo etiam nyctemeron euane-
scit,clare patet, particulas aëreas in istam substantiam in-
gressum habere *p*). Eadem phaenomena in vero *cobalto*
non occurunt.

§. XLVII.

Calcinatio. Plurima, ad *calcinationem* spectantia, in praecedentibus
Sphis protuli, cautelas tantum quasdam hic subne-
ctere

m) WALEERIVS *l. c.* p. 300. *it.* GELLERT *l. c.* p. 35.

n) Philofòpic. Transact. p. 178.

o) Selecta Phys. Oeconom. *l. c.* p. 23.

p) Philosop. Transact. p. 178.

stere placet: nam a calcinazione, rite peracta, vitrificationis opus, in ordine ad *finaltam* optime conficiendam, magnum capit emolumentum. Interest igitur, ut cobalorum naturae notitiam certam habeat artifex, et medium semper teneat iter; excessus enim aequa ac defectus producenda maximopere immutant. Quoniam autem tot et tam diuersae Cobalti species occurunt, non datur canon omnibus applicabilis; aliae nulla prorsus vstulatione indigent, aliae modica, multae magno eius gradu, cuius rei rationes iam perspicit gnarus; versatusque operator ex habitu tenorem nouit. Materia, si semel calcinata, nihil metalli alias ex ea separari potest, sed reductione propriam metallicam formam recuperat; vnde nihil aliud colligendum, quam quod vnico cobalto comperat q).

§. XLVIII.

Calces illas ipsasque mineras puras in vitrum con. *Vitrificatio.*
uertere adeo operosum non est, sed operationis huius prae-
cipuum replere momentum, ut nempe vitrum elegantissi-
mum caeruleum colorem nanciscatur, singulare sane artificium inuoluit. Iniurius non sum, si dicam, paucos exfis-
tore qui eo rem perduxerint ut nihil amplius in hoc stadio
desiderari possit: nam subtilis reuera manuductio necessaria
est, nec absque ratione optatur, ut istum nodum peritus
solutus chemicus. Tanta heic sunt requisita tamque diuersa
obseruanda, ut merito dicere valeamus, *multa petunt, ut*
pauca obtineant: omnis γύανος οντος gnarus mihi adstipu-
labitur: qui vero rem ipsam adeo facilis esse sibi fingit, ille
quaeso adeat fontem istum feracissimum manusque suas car-
bonibus conspurceret, videarque quantum proficere possit:
fed

q) L. c. p. 179.

sed haec perfunctorie tantum dicta esse volo. Ad subiectum nostrum quod attinet, illud constanter, ut saepius monitum est, eundem sibi soli proprium colorem producit, de gradibus autem perfectionis theoria certa nondum prostat, interim artifici incubbit, habitum sibi acquirere, quo deficiente omnia caespitant. Minera denique via sicca facilime indagatur *borace*, quem subito colore caeruleo sola fuscione impregnat, et sic se prodit cobaltum r).

Schol. Ad huius ſphi dilucidationem vnicum adhuc momentum adiiciam, quod nimurum vbiunque cobaltorum copia adefit, facili fatis negotio *fmaltae* temperaturam rei gnarus obtinebit, illa vero absente, impossibilis erit huius encausti perfecta fabrica. Haec est vera ratio, quare *Saxonia* hic semper palmarum reportabit, hoc ipsum quoque est *Saxoniae* maximum arcanum, quod absque eius damno, ipsaque non iniuita, reuelari potest. Adeo enim illa prouincia variis abundant cobaltis, omnibusque ad *fmaltarum* confectionem supplenticilibus, vt non facile altera *Europae* plaga idem praefestare queat.

§. XLVIII.

Granitas specifica.

Cobalti minerae grauitatem specificam adsignare, multum utilitatis huc adferre non posse, nisi quidem omnium cobalti mineralium grauitas simul indicaretur, quod vero ab instituto meo nimis recedit: aliquot tamen species hydrostaticae exploratas, in HENCKELII *pyritologia* p. 991-992. inuenimus. De vnico regulo nobis hic agendum est, cuius maxime puri frustum ponderabat grana 1019, in aqua autem grana 129 amittebat, atque sic aqua destillata ad regulum se habet vti 129: 1019 vel 1000: 7899. Et quoniam WAL-

r) WALLERIYS l. c. p. 300.

WALLERIVS semimetalli huius grauitatem non exhibuit, inopportunum non videtur ipsam suo loco inserere, et sequentem delineare tabellam.

Hydrargyrum	-	13, 539.
Bismuthum	-	10, 000.
Regulus arsenici	-	8, 308.
Regulus cobalti	-	7, 899.
Regulus antimonii	-	7, 500.
Zincum	-	7, 000.
Aqua	-	1, 000.

CAPVT III.

DE

NOVIS COBALTI SPECIEBVIS.

§. L.

Promissas nunc sistere debo *cobalti species*, quas neque *Introduct.* in libris vñquam descriptas, neque in museis cognitas adhucdum deprehendere licuit: casui autem fortuito illam inventionem me debere ingenue fateor, et quoniam satis momentosa mihi haec differentia videtur, historiaeque naturali vtilis, silentio eam praetermittere incongruum esset: quare absque longo praeludio ad ipsam rem me accingam.

§. LI.

Amicus quidam metallum peculiaris indolis, curiositas gratia, mihi mittebat, adiecta sola relatione, quod ex manibus nautae cuiusdam, vili fatis pretio, illud accepisse, et quoniam tale subiectum nunquam vidisset, me rogabat, ut ipsum de eo, quid sit, certiorem redderem.

F

§. LII.

§. LII.

Instituebam eum in finem varii generis experimenta, sed adeo in cassum, vt ferme, taedio correptus, vltiore

Eius descrip- indagatione illud indignum iudicarem; nulla enim cuius-
tio. cunque metalli cogniti rudimenta in ipso deprehendere po-

Experimen- teram. Erat minera nigricantis coloris, fuliginis ad instar
ta. splendens, nullius plane saporis, dura admodum, intus

verò egregiis lamellulis interspersa; in loculamentis metal-
lum inclusum fouens; quae textura tam speciosa mihi vide-
batur, vt aegre ad illam destruendam commouerer: dimi-

diam circiter illius partem in faciendo experimenta con-
sumseram, cum semel metalli intus contenti partes duas

aquaee forti partibus sex imponerem, strepitus inde ortus
et effervescentia cum mirabili et delectante colorum varia-
tione conspici poterant, et licet partium praeceps collisio

fieret, vitri ramen parietes ultra modum non aestuabant,
nec magnam adeo vaporum copiam expellebant. Intra di-

midiam horam omnis labor cessabat, et liquor, rubeus, dia-
phanus, consistens et saturatus conspiciebatur. Elapsò

nychtemero *argenti* frustum solutioni iniciebam, ast inta-
ctum manebat; post modum extracto argento *cuprum* ei

substituebam, sed pari cum euentu; tandem cupri loco,
cum ferro aliquid tentare conabar, verum et hoc perpe-
ram. Cogitabam porro, vitriolum aliquid effecturum fo-

re, illud autem vix turbas quasdam excitabat, cum rursus
priorum faciem totum contentum adipisceretur. Effuso per

inclinationem liquore, vitriolum forma pulueris albi in
fundo quiescebat, pristinamque solutionem immutatam ob-
tinebam. Addita denique solutione alkalina elegantissimus

puluis splendidi rubri coloris praecipitabatur. Tali phae-
nomeno se offerente dubius haerere non poteram, me *opti-*

mum

enum cobaltum offendisse; quo dulcorato frittae ad vitra alba partibus quatuor ipsi probe admixtis, solito more procedendo, vitrum intense caeruleum nigricans intra trihorium praefto erat, quod dein copiosa eiusdem frittae additione indigebat, antequam debitam temperaturam consequeretur.

§. LIII.

Quae ex metallo adhuc supererat altera pars, et *via Continuatio.*
ficca meliori cum euentu, quam cum ignotum adhuc esset corpus experimenta faciendi mihi ansam dabat; vix enim fragile illud erat, incidi impositum dexteritatis quid sub malleo manifestabat, tandemque data opera in puluerem redigebatur; quem qua fieri poterat industria, explorabam, sed nequa^m magnetis ope, neque alio quoconque artificio, alterius metalli, ne rudimentum quidem ex eo elicere quid potui. Praeterea puluerem istum, tigillo impositum, leni primum, dein fortiori igne calcinabam, sed nec fumus nec odor percipiebatur, immutabilis manebat, donec post biorum ipsum eximens animaduerterem, crucibulum fissuram contraxisse, qua propter armato tigillo dein usus sum.

§. LIII.

Non a proposito alienum videtur, artis cultoribus *Tigilla ar-*
hanc methodum, crucibula firmandi, cognitam reddere, vt mata.
 necessaria ista suppellectili cum emolumento frui possint; dudum enim illa fuit desiderata. Simplicissime scopum attinges, si vni argillae purae parti aluminis plumosi partes tres admisceas, optimaque crucibula *Hassiac* massa illa paulatim obducas, eaque dein in umbra exsiccata per aliquot dies relinquas; si fissuras contraxerit lutum, illas eadem materia explanes, donec tandem usui adaptata sint: sic habebis crucibula optimae notae.

F 2

§. LV.

§. I.V.

Exper.

Tale ad manus quum mihi esset tigillum, ad operationem statim accedere petui: quare calcem meam (§. LIII.) cum tribus saturnini vitri partibus ei immitrebam, et horis octo per ignis gradus rite procedens, vitrum tandem elegantissime violaceum impetrabam: eiusdem aurem calcis reliquam portionem cum silicibus et alkali fundendo, valde atrum et spissum coagulum inde prodibat, quod larga fritiae copia in *smaltum* perfectissimam diluebatur.

§. LVI.

Continuatio.

Denique eriam mineram lapidi lydio admouendam esse iudicans, absque praemissa vstulatione, statim cum fritta ipsam immiscere censebam; quo facto eam fundebam, et intra horas tres vitrum intense caeruleum se sistebat, remanente nitido regulo, merallo §phi LII. simillimo; quo itidem calcinato priorem formam per additum phlogiston recuperabat, et de nouo illa destructa solitum effectum producebat.

§. LVII.

II. Species.

Alteram cobalti speciem *bructero* monti debeo, formosam rubicundam *ochram* penitus aemulantem, micantibus lamellis splendentem. Varia sane ad hanc explorandam stratagemata adhibui, antequam ipsius vera indoles in mentem mihi venisset: immutabilis enim erat, ignisque pabulo, non secus ac altera *salamandra*, vesci videbatur; cum nitro fusa tigillum vndiquaque penetrans, illud intus et extus solidissimo viridi encausto obducebat, massa ceteroquin eandem ferme formam seruante.

§. LVIII.

Exper.

Nescio qua intentione instigatus, mineram illam, quae vitro citroque me iam exercuerat, periclitationi de nouo subiiciebam, et animaduertens, ipsam in laboratorio clau-

clauso leuissimum alliacum foetorem eructare, statim de fumis illis capessendis sollicitus eram, sed fumus erat, prae-
tereaque nihil: nullam enim consistentem formam induere
volebat, qua capessendus fuisset; omnibus dein viribus eo
tendebam, ut productum inde saltem elicerem; sic semel
adiecit aliquot boracis paribus, ex caeruleo colore hospi-
tem istum dignoscere licuit. Vnde maiori cum emolumen-
to ipsum postea excepti, atque ad noua accensus experimenta,
solita methodo *finaltam* elegantissimam inde feci, abscedente
valde paruo regulo, reliquum totum smalta absorperat;
regulus iste examinatus nec ferrum nec cuprum continebat.

§. LVIII.

Minerae illius magnam quantitatem, ex vase retorto *Minerae de-*
vitreo, igne aperto destillans, prodibant paulatim vnciae *stillatio*.
duae limpidi liquoris, quo capit is mortui vnciam vnam sin-
gulis diebus irrorabam, et tandem massa aëri humidiori ex-
posita, fatiscebat in vitriolum roseo pallidum, nullius sap-
oris, quod neque in cuprum neque in ferrum villam efficaciam
exserebat; deficiente tandem sufficiente quantitate, illud
pluribus examinare non poteram.

§. LX.

Tertia species erat schistus niger, flavis granulis in- III. *Species.*
terspersus, argenti admodum ferax, et exploratu diffici-
lis. In tractu *syluae thuringicae* non procul *Sonnebergia*
fissilis iste eruitur: longam experimentorum, ad hunc perti-
nentium, seriem silentio praetermittam, vnicumque illud
monebo, eum post argenti separationem terram fixam reli-
quisse, quam *cobaltum* esse agnoti; ceteroquin nullius al-
terius metalli particeps.

§. LXI.

Quartum tandem, omni attentione dignam speciem IV. *Species.*
perulstrare conueniet: *argillam* nimirum *albam*, tessulis
F 3 mino-

minoribus particulisque subtilissimis instructam, quae in igne atra euadit, cum aqua autem forti pauxillum efferuercentiae monstrat; ad montem, *Kipbusium* dictum, effoditur, et proprium nomen non habet.

§. LXII.

Exper.

Hanc argillae speciem pro porcellana conficienda aptissimam primo intuitu existimans, adhibui; sed spe delusus ipsamque calcinatione atrum colorem consequi animaduertens, aliam inuestigandi viam instituendam ratus sum. Sic materia probe calcinata et aquae forti commissa breuissime soluebatur, solutionemque viridem, dein rubicundam praebens, tandem ope alkali praeципitatum rubrum offerebat, quibus phaenomenis iam certior factus, statim de ea vitrificanda sollicitus, solitoque modo procedens, elegantissimam *smaltam* adeptus sum, regulumque tertiam fere partem vitri adaequatem. Regulum istum post maturum examen, purum, absque ferro aut alio metallo mixtum, reperiebam, qui dein post calcinationem, totus quantus ultra sexaginta vitri partes praestantissime tingebat. Nihil nec in argilla mera nec dein in regulo heterogenei vlo modo videri aut percipi poterat.

§. LXIII.

Vsus medicus.

Problematica sane sunt, quae de subiecti nostri *vsi medico* adseruntur, neque, quantum ego noui, ita explanata, ut firmo talo stare possint: experimentorum enim copiam adhucdum requirunt. Varia in hunc finem a me instituta sunt, quoniam autem in tanti momenti re non leuem esse, sed iudiciosum, fidelem atque religiosum Medicum summopere decet, historice tantum, quae protestant, enarrabo. Sunt mihi ad manus MSCra, in quibus plurimi cum *cobalto* processus leguntur, modusque doce-

tur,

tur, mercurium et ex isto *magisteria cobalti* immensa virtutis, educere; ex reliquis vero partibus externa adstringentia ceteraque confidere; quae omnia sint penes auctorem. Apud ENCELIVM non nulla inueniuntur, non solum *cobaltum*, verum etiam omnes mineras ipsi agnatas, comprehendentia, quae spernenda non omnino vindetur, licet vnic ex veterum scriptis sint compilata, potissimum ex DIOSCORIDE, PLINIO, AETIO. Maiorem autem considerationem illis debemus, quae memorauit POTTIVS de *bismutho*, quod, vt monui, a *cobalto* liberum vix deprehenditur, qua propter respectus ad cobaltum in ipso hoc fossili semper habendus. Sunt etiam qui remedia epileptica inde praeparare student.

§. LXIII.

Quoniam pollicitus sum, me sub vsu *alchemico* *Vsus alchemicorum* adlaturum esse, propter quam subiecti nostri *micus*. indagatores perfectam experimentorum relationem dare noluerint, illam in eo praeципue quaerendam iudico, quod fortassis, perceptis fossilis huius virtutibus, ad nobiliorum, quam vulgo fit, finem illud applicauerint: potiora enim in ipso deprehenduntur, quae vulgo de *materia* sua prae-dicant *Philosophi hermetici*, ne dicam de etymologia vocis cadmiae, aut de regis CADMI hyperbolica historia, ad *hermeticorum* modum ad amussum instructa. Non opus autem est, vt quaevis momenta de nouo hic recenseam; nec veritatem demonstrare emitar, nec alchemiam hic defendere, minus ipsam docere, animus est: illud tamen vnicum subiectam, cobaltum eodem iure, alchemicorum subiectum esse, ac omnia similia corpora, quae tantis encomiis efferuntur. Quo rite perpenso, iudicet *χειροφίλος* de eo, quid sit cobaltum.

§. LXV.

§. LXV.

Conclusio.

Tibi nunc dedi B. L. elaborationem thematis, quod neque detritum neque vulgare est; si aequo animo illud suscias, ubiorem tibi tractationem polliceor, hic enim instituti ratio fusiorem esse prohibet. Quatuor quas in hoc capite descripsi cobalti species, ad hoc opus edendum me potissimum incitarunt, cum ex eis principia illa perspicere licet, quae ad dilucidationem quaestionum, circa cobalti eiusdemque reguli vim tingentem, adhuc controvversarum sufficiunt, ut staturem regulum cobalti peculiarem semimetalli speciem esse, cuius terra metallica, sine concursu martialis principii, caeruleum colorem vitro largitur. Quicquid attuli, institutis omni cum cura experimentis nititur, nec alias fide dignos autores suo loco allegare neglexi. Maluissem sane aliis cuiusdam chemiae studioſi, alia plane molientis, et eum in finem experimta hinc inde conquirentis, elaborationem expectare, ut prolatā ab eodem argumenta, igni docimastico exponere potuisse; cum vero meam scriptiōnem, specimiini inauguraſi destinaram, diutius differre nequieverim, expectabo quibus argumentis sententiam hic demonstratam infringere, suamque stabilire poterit. Dum his in scribendis detineor, aliquot errata typographica praeter voluntatem meam se insinuasse animaduerto, quae cum magni momenti non sint, illa facile corrigere poterit B. L. praecipuum tamen illudque consideratione dignum hic notabo, nimur in ſpho V. integrum lineam typographus omisit, qua CRAMERVIS inter scriptores recenſebatur: silentio ipsum praetermittere nefas eſſet, cum omnem attentionem merentur, quae de ſubiecto noſtro in Docimasia protulit; caetera triū vel quatuor ſphorum citationes respiciunt. Interea pro diuino auxilio perceptio, tribuenda eſt

SOLI DEO GLORIA.

GENEROSO
S C H W A C H H E M I O

I. A. SEGNERVS

SERENISS. AC POTENTISS. REGI A CONSIL. INTIM.
MATHEMAT. ET PHILOS. NAT. IN ACADEM. FRIDER.
PROF. PRIMAR. ACAD. SCIENT. IMPER. PETROP.
SOCIET. REG. LOND. ET ACAD. SCIENT.
REGIAE BEROL. SODALIS.

Reciam ingressus es viam, quae sola ad abdita naturae nos posse deducere. Et quae non disciplina, iuncta plurium opera, vel perfecta est, vel perfici optime potest! Sit, quod quilibet confert, minutum aliquod; sed studiose exploratum sit, certum, ac, quantum res patitur, euidens: sensim ex particulis his optimarum rerum copia ingens conflabitur. Neque verendum est ne parum cohaereant ab hominibus, tempore, coelo, ingenio atque vitae instituto diuersis, detecta. Vna est veritas, sibi vndeique constans, quam quae studiose quaerit, ei de connexione non aliter, laborandum est, quam ut in lucem protractis, quae latent, una omnium atque continua facies appareat. Physicae autem in primis copiosa est ac multiplex, circa quam plurimorum industria per secula occupata, posteris tamen, quod quaerant, quod perficiant, sit relixtura. Hac ergo, quam feliciter ingressus es, via pergendi, si otium TIBI fuerit atque occasio, (de ingenio enim et industria non dubito) quam iam edis, historiae naturalis particula, praeclara quaeque nos sperare iubet. Quae si aliquando videro, eam potissimum ob causam laetabor, quod mihi indicio erunt successus prosperi rerum TVARVM. Cupio eni^m vehementer TIBI fausta quaevis et optata contingere. Vale. Halae Magdeburgicae d. 15. Augusti, 1757.

G

VIRO

V I R O
IVVENI GENEROSO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
A SCHWACHHEIM
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM
D. IO. IVNCKER,
MED. PROF. PVBL. ORD.

Non ferias, CANDIDATE honoratissime, sed labores eisque strenuas philosophis ex igne iudicis: labores, ad quos serendos recentes quasi equi, licet mane accingantur, circa vesperam tamen vix incolumes emergunt. Subaudio iuuenes alacres animoque erectos, qui dissertationis TVAE subiectum prouide euiscerandum in se recipiant, et sub hoc labore non solum colossica onera, sed passim quoque periculosos vapores persentisendo experiuntur. Gratulor itaque et vere gratulor, quod post multos labores et procellosas buc virque nauigationes vela nunc felix contrahere et in portu nauigare TIBI concedatur: gratulor, quod exacto labore altis signum, phari instar, ad exitandas syrtes erigere et multis experimentis viam securam praemonstrare possis. Meretur sane insignis haec fatigatio, ut laurea doctoralis nunc TIBI imponatur: quae vt plurimo boni publici emolumento valeat, et ingenii dotes, quas disciplinis optimis excoluisti, uberrimum fructum proferant, a Deo, omnis felicitatis auctore; piis votis contendo. D. Hal. d. XVI. Aug. MDCCLVII.

VIRO

V I R O

GENERO SO ATQUE EGREGIE DOCTOR

F. R. A SCHWACHHEIM

CANDIDATO RESPONDENTI
DIGNISSIMO

S. D. P.

IOANNES IOACHIMVS LANGE,


MATH. PROF. PVBL. ORD. ACAD. IMPER. NAT. CVR.
ET REG. BORVSS. SCIENT. COLLEGA.

Mirabilis est omnium scientiarum nexus, quo omnes in circulum redeunt, unum aliquod torum perfectissime repraesentantem. Sed non omnia possumus omnes. Est enim tanta: biusi circuli amplitudo, ut nemini mortalium liceat eundem integrum mente sua complecti. Recte itaque faciunt, qui aliquas huius circuli partes, ardiori vinculo iunctas, sibi prae reliquis excelen- das proponunt et tandem ad centrum, quod in gloria DEI et salute hominum promouenda positum est, omnia referunt. Optime fecisti, Generoso DOMINE CANDIDATE, quod variarum lin- guarum notitiae et philosophicis scientiis addideris Historiam natura- lem, Mineralogiam, Metallurgiam, Chemiam, Physicam, et haec omnia cum Medicinae studio coniunxeris. Felix vir iuuenis, qui tales


O A I V

tales in itineribus suis colligit fructus, quales TE reportasse vhermos ex colloquiis TEcum habitis intellexi. Inter eos fructus hic mibi fuit pergratus acceptusque, quem in praesenti dissertatione inaugurali publico exhibes, dum fundamentalia experimenta circa subiectum minus adhuc examinatum proponis. Suasor TIBI sum, ut quam proxime et reliqua, quae TIBI cobaltum eiusque regulum examinanti occurrerunt experimenta, nunc quidem, ne dissertationis academicae moles nimis augeretur, omissa, in publicum prodire sinas. Plures harum rerum cupidi, quibus ea inquirendi occasio deest, mecum insignem inde capient delectationem. Ceterum prolixis pro incolumitate TVA votis abituerint TE prosequor meque benevolae TVAE recordationi commendo. Vale. Dabam in
Regia Fridericiana die XVI. Augusti Anni

M D C C L V I I .



M




Biblio. Med. Diss.

46 1757

Halle, Med. Diss., 1757



Retro



ECIMEN PHYSICO-CHEMICVM,

**I HISTORIAM
TA ET NOVAS
OAM SPECIES**

EXHIBENS

QVOD

SANCTISSIMO NVMINE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
MA FRIDERICIANA

ADV DOCTORIS

CINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LIBVS RITE CAPESSENDIS

GUSTI ANNO MDCCLVII.
S LOCOQUE SOLITIS

FILATIONI SVBIICIET ET PVBLICE
DEFFENDET

A V C T O R
DOLPHVS A SCHWACHHEIM

VADVMENSIS.

MAGDEBURGICAE,
STIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

B.I.G.

Black

3/Color

Blue

Cyan


Green

Yellow

Red

Magenta

White



Farbkarte #13